



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 111. Vtrum necesse sit omnia entia distincta à Deo, etiam materiam primam esse à Deo tanquam à prima causa efficiente?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

QVÆSTIONVM THEOLOGICARVM

In primam partem S. Thomæ.

LIBER TERTIVS.

Continens Tractatus de Creatione, ac de Angelis.



POSTQVAM S. Thomas primis 43. quæstionibus primæ partis egit de Deo secundum se, à quæst. 44. vsque ad 119. & ultimam agit de Deo, in quantum est principium creaturarū, & de processione creaturarum à Deo. Et quia creaturæ processerunt à Deo per creationem, à quæstione 44. vsque ad 49. inclusivè agit de creatione, ac de Deo ut per creationem causa rerum, earumque distinctionis, & inæqualitatis, necnon de causa mali. Quia verò creaturæ distinguuntur in substantias spirituales, & corporales post quæstionem 49. agit primò de creaturis spiritualibus, hoc est de Angelis, de quibus disputat à quæstione 50. vsque ad 64. ac deinde, & à quæst. 106. vsque ad 114. inclusivè. De creaturis corporalibus, earum creatione, & distinctione per opera sex dierum, ac præsertim de homine quoad corpus, & animam, ac de Adamo in statu naturæ integræ agit à quæstione 65. vsque ad 119. & ultimam inclusivè. In hoc tertio libro aggredimur explicare quæstiones de creatione, ac de Angelis, quas dividemus in tractatus sex. Tractatus igitur primus, & octavus ordine erit de creatione, ac distinctione rerum. Nonus erit de existentia, essentia, distinctione specifica, numero, & corporibus assumptis Angelorum. Decimus erit de loco, & motu locali Angelorum. Undecimus de intellectu, voluntate, cognitione, & dilectione Angelorum. Duodecimus de creatione Angelorum in esse naturæ, de eorum gratia, & beatitudine, ac de peccato, & pœna dæmonum. Tertiusdecimus de illuminatione, loquutione, hierarchijs, ordinibus, operationibus Angelorum in corpora, missionibus, custodia hominum, & de impugnationibus, ac tentationibus dæmonum.

TRACTATUS VIII.

De Creatione, ac de Deo ut causa rerum, earumque distinctionis, & inæqualitatis, ac de malo, eiusque causa.

QVÆSTIO CXI.

Virum necesse sit omnia entia distincta à Deo, etiam materiam primam esse à Deo tanquam à prima causa efficiente?

S. Th. q. 44. a. 1. & 2.

1.



VIDETVR non esse necessarium, ut omne ens distinctum à Deo sit à Deo, tanquam à causa efficiente: primo quia non repugnat rem esse sine eo, quod non est de eius essentia, seu ratione, ac definitione; sed esse à Deo tanquam à causa efficiente non est de essentia, ac definitione entis distincti à Deo; ergo.

2. Secundò ens necessarium, cum non possit non esse, ad essendum non indiget causa; sed dantur aliqua necessaria distincta à Deo; ergo aliqua distincta à Deo non indigent Deo ut causa efficiente.

3. Tertio quæ habent causam, possunt demonstrari per talem causam; sed mathematica non possunt demonstrari per causam efficientem, & actiuam, ut docet Aristoteles 3. metaph. text. 4; ergo mathematica non habent Deum ut causam efficientem.

4. Quarto omne, quod sit, componitur ex subiecto, & ex aliquo alio, ut docet Arist. 1. Physic. tex. 62; sed materia prima cum sit primum subiectum, non componitur ex alio subiecto; ergo.

5. Quintò sicut Deus est primum principium

X x

principium

cipium actiuum, sic materia prima est primum principium passiuum; sed Deus, quia est primum principium actiuum, non solum non est ab illo principio actiuo, sed non est ex illo subiecto; ergo materia prima, quia est primum principium passiuum, non solum non est ex illo subiecto, sed non est ab illa causa efficiente.

6. Sexto omne, quod fit, per hoc, quod fiat, acquirit esse actu; sed materia prima non est actu, sed est pura potentia; ergo.

7. Respondeo, quod vt aduertit Caietanus in Comment. Sanctus Thomas hoc art. 1. quæst. 44. quærens, vtrum necessarium sit omne ens distinctum à Deo, esse creatum à Deo, sumit creationem latè, inquantum est productio à causa efficiente, abstrahendo ab hoc, quod sit productio, qua res producat omnino ex nihilo, ac proinde sit creatio stricta, vel sit productio, qua res non producat omnino ex nihilo, ac proinde non sit creatio stricta: de creatione autem stricta agit ex professo sequenti quæstione 45. Rursus non quærit hic, vtrum necesse sit omne ens distinctum à Deo produci à Deo concurrente immediatè ad eius productionem: de hoc enim disputat infra hac prima parte, quæst. 104. & 105. atque artic. 2. quæst. 104. ostendit Deum concurrere immediatè ad conseruationem omnium rerum; artic. 5. quæst. 105. ostendit Deum concurrere immediatè ad omnes actiones causarum secundarum. Hoc igitur articulo quærit solum, vtrum omnia entia distincta procedant immediatè, vel mediatè à Deo, tanquam à prima causa efficiente?

8. Errores philosophorum, & hæreticorum contra hunc articulum fidei, quo credimus Deum esse factorem, & causam efficientem cœli, & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium, reduci possunt ad duas classes. In prima classe sunt, qui docuerunt Deum non esse auctorem immediatum, neque mediatum omnium rerum. In secunda classe sunt, qui licet concesserint Deum esse auctorem saltè mediatum omnium rerum, tamen docuerunt non fuisse immediatè producta à Deo aliqua, quæ ex fide credimus fuisse producta immediatè à Deo. Prius referemus errores spectantes ad hanc secundam classem: deinde errores spectantes ad primam classem.

9. Primus ergo error est Simonis magi, qui vt scribunt Irenæus lib. 1. aduersus hæreses cap. 20., & 21. Tertullianus lib. de Præscript. cap. 46. Epiphanius hæres 21., & Theodoretus lib. 1. hæreticarum fabularum, cap. 3. docuit mundum visibilem, & homines non à Deo, sed ab Angelis conditum fuisse: Angelos autem conditos ab ipso Simone, & à quadam muliere circulatrice, quam secum circunducebat, & vocabat Helenam. Verum cum Simon diceret se esse ipsum Deum, ac Spiritum Sanctum, qui Samaritanis apparuerat tanquam Pater, Iudæis tanquam filius, & ad alias gentes accesserat, tanquam Spiritus San-

ctus, admittebat etiam mundum visibilem, & corporeum cum hominibus conditum, fuisse mediatè ab vno Deo, hoc est ab ipso Simone.

10. Secundus error est Saturnilianorum, qui auctore Saturnilio, vel Saturnino, vt eum vocat Augustinus, docuerunt Deum fuisse auctorem omnium Angelorum: septem autem ex Angelis absque Dei consensu creasse mundum, vt referunt Irenæus lib. 1. cap. 22. Tertull. lib. de Præf. cap. 46. Epiph. hæres 23. August. lib. de Hæres. cap. 3. Theodoretus lib. 1. hæret. fabularum, cap. 1.

11. Tertius error est Basilidis, qui docuit à Deo, quem Abraxan vocabat, productam fuisse mentem; à mente verbum; à verbo prouidentiam, à prouidentia virtutem, & sapientiam, à virtute, & sapientia principatus, potestates, & Angelos, ab his 365. cœlos quodam ordine; ac demum à postremi cœli conditoribus productum fuisse mundum inferiorem, & homines. Referunt hunc errorem Irenæus lib. 1. cap. 23. Tertull. lib. de Præscript. cap. 46. Epiph. Hæres 24. Augustin. lib. de Hæres. cap. 4. Theodoret. lib. 1. hæretic. fabularum, cap. de Basilide.

12. Quartus error est Cherinthi, atque Carpocratis, & Gnosticorum, qui vt testantur Irenæus lib. 1. cap. 24., & 26., Epiphanius Hæres 27., & 28., & Theodoret. lib. 1. Hæretic. fabularum, cap. de Carpocrate, docuerunt Angelos à suprema virtute defecisse, ac mundum visibilem condidisse.

13. Quintus error est Apellis, & Apellianorum, qui vt referunt Epiph. hæres 44., & August. lib. de Hæres. cap. 3. posuit duos Deos, alterum bonum, alterum malum, ac mundum visibilem asseruit factum à Deo malo. Verum cum vt iidem August., & Epiphanius testantur, Apelles doceret Deum malum factum fuisse à Deo bono, fatebatur omnia saltè mediatè producta fuisse à Deo bono, qui tamen nullam mundi visibilis prouidentiam gereret.

14. Sequitur, vt referamus errores spectantes ad secundam classem. Sextus ergo error est Cerdonis, qui vixit tempore Hygini Papæ circa annum Domini 154., & vt referunt Irenæus lib. 1. cap. 28. Tertull. de Præscript. cap. 51. Epiph. Hæres 41., & August. lib. de Hæres. cap. 21. docuit dari duo prima principia, seu duos Deos; alterum ignotum mundo, & Patrem Christi, quem dicebat bonum, qui nullam creaturam fecerit: alterum opificem creaturæ, sæuum, & crudelem, & hominibus satis notum.

15. Septimus error est Manichæi, & Manichæorum, qui vt referunt Epiph. Hæres 66., & Theodoretus lib. 1. Hæret. fabularum, cap. ultimo, docuit dari duo principia, ac duos Deos, alterum bonum, alterum malum, improductos, coæternos, ac sibi mutuo contrarios, quorum alter sit primus auctor bonorum, alter primus auctor malorum, ac mundi huius

huius visibilis. Cerdon igitur, ac Manichæus conuenerunt in hoc, quod ponebant duos Deos: at discrepabant, quia Cerdon dicebat solum Deum malum condidisse omnes creaturas: Manichæi autem dixerunt aliquas creaturas conditas fuisse à Deo bono, aliquas à malo. Manichæos etiam quoad hunc errorem secuti sunt Priscillianistæ in Hispania, vt testatur Sanctus Leo epist. 93., quæ est ad Turribium, cap. 14., ac deinde Albigenes in Gallia, vt testatur Sanctus Antonius 3. par. hist. tit. 19. cap. 1.

16. Octauus error est eorum, qui dixerunt mundum visibilem initio temporis conditum quidem à Deo fuisse, sed ex materia, prima æterna, & improducta. Hunc errorem Platoni tribuunt Plutarchus lib. de placitis philosophorum, Amb. lib. 1. hexam. Eundem errorem Zenoni, ac Stoicis tribuit Tertull. lib. de Præscriptionibus, cap. 33. Eundem errorem ex hæreticis secuti sunt Hermogenes, & Marcion, vt testantur Tertullianus lib. de Præscriptionibus, & lib. aduersus Hermogenem, cap. 1., & lib. 5. contra Marcionem, cap. penultimo, & Theodoretus lib. 1. hæretic. fabularum, cap. de Hermogene, & cap. de Marcione.

17. Contra istos errores de fide est Deum omnia, quæ distinguuntur à Deo, condidisse, etiam materiam primam. Et quidem Angelos, corpora cœlestia, ac elementaria per se ipsum immediatè Deus condidit ex nihilo, plantas, animalia, & ipsum hominem produxit ex materia elementari prius creata: omnia, quæ de nouo produciuntur, saltem producit medijs causis secundis, concurrens immediatè cum ipsis, vt suis locis cum Sancto Thoma explicabitur, ac etiam in philosophia est dictum. Hic cum Sancto Thoma debemus ratione naturali ostendere quodlibet ens à Deo distinctum, à Deo tanquam à prima causa efficiente immediatè, vel mediatè procedere, iuxta illud Apostoli ad Romanos 11. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.*

18. Probatur primò: nam ex dictis quæstion. 17. datur vnum tantum ens à se, & vnus tantum Deus; sed eo ipso, quod datur vnum tantum ens à se, necesse est, vt omnia alia distincta à Deo, non sint à se, ac proindè sint à Deo immediatè, vel mediatè tanquam à prima causa continente adæquatè totum ens, & totam perfectionem omnium aliorum entium; ergo.

19. Probatur secundò, explicando rationem, quam Sanctus Thomas affert in hoc articulo. Nam omne ens habens esse non per se subsistens debet habere esse per participationem ab aliquo ente, quod habeat esse per se subsistens, eo pacto, quo omne, quod non est per se calidum, aut lucidum, debet habere calorem, & lucem ab aliquo per se calido, ac lucido: sed Deus habet esse per se subsistens, ac esse per se subsistens est vnum tantum; ergo omnia entia distincta à Deo debent habere esse

participatum à Deo, ac proindè debent esse à Deo tanquam à causa efficiente. Probat maior, & minor: nam vt diximus supra quæst. 22. num. 23. esse dicitur per se subsistere, dum sistit in esse, ita vt non contrahatur per vllum non esse: cum verò non sistit in esse, sed contrahitur per non esse, non per se subsistit: sed Deus est esse, quod sistit in esse, & non contrahitur per non esse, vel per carentiam vllius perfectionis simpliciter simplicis, vt probatum est quæst. 18. ergo Deus est esse per se subsistens; sed ens sistens in esse, ac non contractum per vllum non esse, & per carentiam vllius perfectionis, eo ipso habet perfectionem totius entis, ac alia omnia debent habere esse participatum ab ipso, ac proindè est vnicū: alia autem entia non habent esse per se subsistens, sed participatum ab ente habente esse per se subsistens, vt dictum est etiam quæst. 18. numer. 20. sed si habent esse participatum à Deo, debent accipere esse à Deo tanquam à prima causa efficiente: ergo &c. Concludit S. Thomas, quod ideo Plato dixit, quod necesse est ante omnem multitudinem ponere unitatem: & Aristoteles 2. metaphys. tex. 4. quod id, quod est maximè ens, & maximè verum, est causa omnis entis, & omnis veri.

20. Ex dictis infertur necesse esse, vt etiam materia prima producta sit à Deo. Nam duæ rationes allatæ probant omne, quod non est Deus, esse à Deo, ac proindè etiam materiam primam.

21. Sanctus Thomas art. 2. probat materiam primam esse à Deo, explicando, vnde ortus sit error dicentium materiam primam esse improductam. Aduertit igitur antiquos paulatim peruenisse ad cognitionem veritatis circa causas rerum. Primò enim existimarunt non dari alia entia, quam corpora, ac corpora secundum suam substantiam esse improducta, ac solum mutari secundum aliqua accidentia, puta secundum raritatem, & densitatem, per congregationem, vel disgregationem. Putantes igitur sola accidentia produci, assignarunt aliquas causas accidentium, & mutationum accidentalium, ac tales causas censuerunt esse litem, vel amicitiam, aut intellectum, vel aliquid huiusmodi, quod corpuscula congregaret, vel disgregaret. Aliqui vltius progressi distinxerunt in corporibus materiam, & formam substantialem, per quam materia constituitur in sua specie substantiali hominis, aut equi &c. ac putarunt materiam esse improductam, solas formas accidentales produci, & assignarunt aliquas causas vniuersales formarum, & mutationum substantialium, puta ideas iuxta Platonem, vel circulum obliquum, hoc est Zodiacum cum Sole, & planetis, quæ per Zodiacum mouentur, iuxta Aristotelem lib. 2. de Generatione t. 36. Vtrique considerarunt causas entis participati sub aliqua particulari ratione, nimirum in quantum est in hac specie per formas substantiales, puta in quantum est homo, vel equus, aut in quantum est album,

X x 2

vel

vel nigrum. Demum aliqui se erexerunt ad considerandas causas entis participati sub ratione vniuersali entis participati; sed entia etiam secundum materiam sunt participata; ergo entia etiam secundum materiam debent causari, ac produci, ac proinde Deus, qui est causa vniuersalis entis participati, debet producere etiam materiam primam, & omnia, quæ quocumque modo spectant ad constitutionem entis participati.

22. Ad 1. distinguo maiorem; non repugnat rem esse sine eo, quod non est de eius essentia, ac definitione, neque sequitur necessarium ex essentia, ac definitione rei, concedo; si sequatur necessarium ex essentia, ac definitione rei, nego maiorem; distinguo eodem modo minorem; & nego consequentiam. Res non potest esse sine eo, quod tamen non est de essentia, ac definitione ipsius, tamen necessarium sequitur ex eius essentia, ac definitione; ex gr. homo non solum non potest esse sine rationalitate, quæ spectat ad essentiam, & definitionem hominis, sed neque potest esse sine visibilitate, quæ licet non sit de essentia hominis, necessarium sequitur ex essentia hominis: sed licet esse à Deo non sit de essentia entis distincti à Deo, sequitur necessarium ex essentia, ac definitione entis distincti à Deo, vt explicatum est in probationibus conclusionis; ergo. At quia esse causatum neque est de essentia entis *vt sic*, neque sequitur necessarium ex essentia entis *vt sic*, infertur necessarium, quod aliquod ens debet esse incausatum, & à se, & ideo potest, ac debet dari aliquod ens incausatum, & à se, hoc est Deus.

23. Ad 2. ex eo, quod necessaria non habent causam; respondeo primo, quod iuxta opinionem Aristotelis 2. metaph. t. 6. sunt quædam necessaria, quæ habent causam suæ necessitatis. Cum enim Aristoteles putauerit Deum produxisse mundum ex necessitate naturæ, existimauit mundum necessarium existere, & tamen Deum esse causam efficientem mundi. Secundo dico, quod iuxta modum loquendi Patrum græcorum admissum à Concilio Florentino in decreto vniõis, Filius, & Spiritus Sanctus necessarium existunt, & tamen habent causam. Nam Pater est causa filij, Pater, & filius sunt causa Spiritus Sancti. Ideo potest Personis diuinis productis, & vt Græci loquuntur, causatis, applicari dictum Sancti Thomæ hoc art. 2. in resp. ad 2. Non ergo propter hoc solum requiritur causa agens, quia effectus potest non esse, sed quia effectus non esset, si causa non esset. Hæc enim condicionalis est vera, siue antecedens, & consequens sint possibilis, siue sint impossibilis. Respondeo tertio, distinguo maiorem; necessaria quoad existentiam non indigent causa efficiente suæ existentie, transeat; necessaria quoad veritatem, non indigent causa formali, vel quasi formali suæ veritatis, nego maiorem; & distinguo eodem pacto minorem, & consequens. Nihil distinctum à Deo est necessarium quoad existentiam; ergo omnia distincta à Deo, ad hoc, vt existant

indigent Deo vt causa efficiente. Si loquamur de veritatibus necessariis quoad connexionem prædicati cum subiecto, possumus de illis loqui iuxta duas sententias. Prima, quam ego secutus sum quest. 47. & 48. logica, agens de possibili, & impossibili, docet omnes veritates necessarias identificari cum diuina essentia, & iuxta hanc sententiam tales veritates non sunt distinctæ à Deo, ac proinde non habent causam à Deo realiter distinctam, sed solum distinctam ratione nostra. Secunda docet aliquas veritates habere quoddam esse diminutum distinctum à Deo, & iuxta hanc opinionem illud esse diminutum habent aliquo pacto à Deo.

24. Ad 3. distinguo minorem; mathematica in quantum considerantur à scientiis mathematicis, abstrahendo ab hoc, quod existant, & mutantur, non possunt demonstrari per causam efficientem, & actiuam, concedo; in quantum existunt in rerum natura, non possunt demonstrari per causam efficientem, & actiuam, nego minorem; & nego consequentiam. Causa efficiens est principium mutationis, quæ res transeunt à non esse ad esse, vel secundum suam substantiam, vel secundum suam accidentia; & quia scientiæ mathematicæ considerant numeros, figuras, lineas, superficies &c. secundum proprietates, quæ illis conueniunt, abstrahendo ab eorum mutabilitate, ideo non considerant causas efficientes, & actiuas mathematicorum. At mathematica, puta numeri, & figuræ, in quantum possunt mutari secundum substantiam, existentiam, & accidentia, possunt demonstrari per causas actiuas, & efficientes.

25. Ad 4. distinguo maiorem; omne, quod fit à causa non prima, & vniuersali, componitur ex subiecto, & ex aliquo alio, concedo; omne, quod fit à causa prima, & vniuersali entium participatorum, componitur ex subiecto, & ex aliquo alio, nego maiorem; concedo minorem; & distinguo eodem pacto consequens. Licet omne, quod fit à causa non prima, fiat ex alio præexistente, & componatur ex materia præexistente, & forma superaddita, tamen quod fit à causa prima, & vniuersali entis participati, potest fieri ex nihilo, & non ex materia præexistente, neque ex illa, componi.

Ratio est, quia causa inferior non potest agere, nisi accipiat materiam, & subiectum à causa superiori; ex gr. ars humana non potest agere, nisi accipiat materiam à natura; natura non potest agere, nisi accipiat materiam ab auctore naturæ; sed prima causa non habet supra se aliam causam; ergo potest ita agere, vt materiam non accipiat ab alia causa, sed ipsa faciat materiam simul cum forma.

26. Ad 5. concedo maiorem, ac minorem, & nego consequentiam, & paritatem. Repugnat enim, vt id, quod fit, non fiat ab alio: at non repugnat, vt id, quod fit à causa prima, & vniuersali, non fiat ex alio, sed ex nihilo,

vt

vt explicatum est num. 25. in resp. ad 4.

27. Ad 6. distinguo minorem: materia prima non est actu per se ipsam, neque per formam, nego; non est actu per se ipsam, transeat; & distinguo consequens; ergo non potest fieri ita, vt simul accipiat formam, nego: non potest fieri absque eo quod accipiat formam, concedo consequentiam. In sententia dicente materiam existere actu non per se ipsam, sed per formam, non sequitur materiam non posse fieri, sed solum sequitur non posse fieri sine forma, vt aduertit S. Thomas hac quaest. 44. in resp. ad 3.

QVAESTIO CXII.

Virum Deus sit causa exemplaris, & finalis omnium rerum?

S. Th. q. 44. art. 3. & 4.

Videtur Deus non esse causa exemplaris creaturarum; primò quia exemplar, siue idea est, ad cuius similitudinem aliquid fit; sed creatura non possunt fieri ad similitudinem Dei, cum non possint esse similes Deo iuxta illud Ps. 34. *Domine quis similis tibi*; ergo.

2. Secundò exemplaria debent esse eiusdem speciei cum rebus, quæ fiunt ad similitudinem exemplarium; puta exemplar hominis debet esse eiusdem speciei cum homine, qui fit ad ipsius imitationem; sed Deus non est eiusdem speciei cum rebus creatis, quæ fiunt; ergo.

3. Tertiò scientiæ, ac definitiones non sunt de singularibus, sed de speciebus, & generibus abstractis à singularibus; ergo dantur species, & genera abstracta à singularibus; sed species, & genera, & alia vniuersalia abstracta à singularibus sunt exemplaria, & ideæ rerum, ac distinguuntur à Deo; ergo exemplaria rerum creatarum distinguuntur à Deo.

4. Quarto Sanctus Dionysius cap. 5. de diuinis nominibus dicit, quod ipsum secundum se esse prius est eo, quod est per se vitam esse, & eo, quod est per se sapientiam esse; sed prius distinguitur à posteriori in Deo autem non dantur plura distincta; ergo per se esse, per se vitam esse, ac per se sapientiam esse, distinguuntur inuicem, & à Deo; sed per se esse est exemplar eorum, quæ habent esse participatum; per se vitam esse, ac per se sapientiam esse, sunt exemplaria eorum, quæ habent vitam, & sapientiam participatam; ergo.

5. Quintò videtur Deus non esse causa finalis omnium rerum creaturarum. Ideò enim agentia agunt propter finem, quia indigent fine; sed Deus nullius indiget iuxta illud Ps. 15. *Deus meus es tu, quia honorum meorum non eges*; ergo.

6. Sexto finis actionis non est ipsum agens, sed forma per actionem producta, ideoque Arist. 2. Physic. t. 60. dixit, quod finis generationis, forma, & agens non coincidunt in idē

numero; sed Deus est primum agens omnium, quæ aguntur; ergo Deus non est finis eorum, quæ aguntur, & fiunt.

7. Septimo omnia appetunt finem; sed Deum non omnia appetunt, cum non omnia cognoscant Deum; ergo.

8. Octauo causa finalis est prima causarum sed Deus est causa efficiens omnium, in Deo autem non datur prius, & posterius; ergo Deus non est causa finalis omnium.

9. Respondeo Deum esse causam tum exemplarem, tum finalem omnium rerum. Probat, quod sit causa exemplaris. Nam artifex, vt faciat opus artificiale, debet habere exemplar, & ideam talis operis, ac debet suum opus conformare exemplari existenti exterius, vel exemplari existenti in mente; sed Deus est artifex vniuersalis omnium rerum, & antequam quidquam faceret, nullum erat exemplar exterius; ergo Deus ab æterno habuit in mente exemplaria, & ideas omnium rerum, quas ipsamet diuina sapientia inuenit, & quodammodo excogitauit: quæ quidem ideæ secundum illud esse intentionale, quod habent in mente diuina, non distinguuntur ab essentia diuina, quæ est esse intentionale omnium rerum; in quantum verò habent respectum ad res creatas diuersas, distinguuntur ratione. Nam eadem diuina essentia, in quantum est esse intentionale hominis, & habet respectum ad hominem, est exemplar hominis; in quantum est esse intentionale Angeli est exemplar Angeli &c. Videri possunt, quæ de causa ideali, seu exemplari dixi quaest. 17. Physicæ.

10. Probat, quod Deus sit etiam causa finalis omnium rerum, quod est de fide, iuxta illud Prouerb. 16. *Omnia propter semetipsam operatus est Deus*. Nam omne agens agit propter finem; si enim non intenderet aliquem finem determinatum, non produceret hunc potius effectum, quam alterum; sed Deus est primum agens; ergo agit propter finem; sed Deus omnia agit, vt communicet, diffundat, & manifestet suam bonitatem; ergo Deus omnia agit propter suam bonitatem communicandam, diffundendam, & manifestandam, ac proinde bonitas diuina vt diffundenda, communicanda, & manifestanda est finis omnium actionum diuinarum. Addere possumus, quod quia Deus omnia agit propter suam gloriam, ac proinde in omnibus actionibus intendit gloriam sibi, Deus est finis cui omnium, quæ agit.

11. Aduertit Sanctus Thomas primo, quod agentia inferiora non sunt pura agentia, sed sunt etiam patientia, quia in suis actionibus non solum intendunt diffundere suam perfectionem in alia, sed etiam cum sint perfectibilia, intendunt etiam se perficere. At Deus cum habeat actu omnes perfectiones, non intendit se perficere, sed solum intendit communicare alijs suam perfectionem, ideoque actio diuina est purè liberalis.

12. Ad.